



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 114. Rex Florentia Senas profectus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV. Regi numerarent centum viginti aureorum millia, quorum quinquaginta mox, elapso autem trimestri alia quadraginta millia, reliqua demum sexto post mense solvere pollicerentur; II. Respublica cum Rege foedus iniret, ejusque sub auspiciis avita sua frueretur libertate, & pro lilio rubro, quod Florentinorum insigne erat, Gallica lilia sumeret: III. Regi non modo præfatas urbes, Pisas, & Liburnum cederet, sed & ceteras, quas Petrus Carolo jamjam tradiderat; IV. Rex præstito ad aram S. Joannis jurjurando, ut inquit Comminæus, polliceretur, se omnes hasce urbes redditurum quarto mense a capta Neapolitana urbe, aut si in Gallias reverteretur, proximo, quo poterit, tempore. Præterea sancitum V. Irritetur sententia proscriptionis in Petrum Medicæum lata, adjecta tamen hac conditione, vi cujus nec ipse, nec ejus Fratres plusquam centum milliaribus Italicis Florentia abessent. VI. Concederentur Carolo duo Procuratores, quibus Senatam adire integrum esset.

## §. CXIV.

*Rex Florentia Senas profectus.*

Hoc pacto utrinque sancito, ac juramenti religione firmato, Rex Florentia Senas contendit, ubi die vigesima octa-



octava Novembris adveniens, haud vul-  
 garibus honorum significationibus exce-  
 ptus est, eumque populus inter ingentes  
 applausus, ac certantia vulgi vota ubi-  
 que deprædicabat, *missum a Deo, Roma-  
 næ Ecclesiæ Liberatorem, ac fidei Propa-  
 gatorem.* Tandem Senensi urbe præfidiis  
 munita, Carolus inde Palliatam die sex-  
 ta Decembris profectus est, demum ve-  
 ro advectis sarcinis ac necessariis belli  
 tormentis Viterbium versus iter instituit.

Sæcul. XV.

A.C. 1494.

*Vigne loc.  
cit.*

## §. CXV.

*Calabriæ Dux castra Viterbii ponere  
 prohibitus.*

Viterbium, cum urbs esset munitissima,  
 Calabriæ Dux ab Ecclesiæ ditioni-  
 bus redux, ad preces Pontificis tueri sus-  
 cepit, nec vano prorsus consilio; abs du-  
 bio enim ibidem controversia de Neapo-  
 lis regno dirempta fuisset, nisi Columnen-  
 ses, postquam Calabriæ Ducem Roma  
 Viterbium auffugisse compererant, Gal-  
 lorum copiis aucti, omnem commeatum  
 Ostia ad Ducem devehendum intercepis-  
 sent, demumque penuria laborantem us-  
 que ad Romanæ urbis mænia, quæ de-  
 fenderet, recedere compulissent. Hoc  
 pacto non exigua ditionis Ecclesiasticæ  
 pars, quam Patrimonium S. Petri vo-  
 cant, hostium arbitrio exponebatur,

Q q 4

quæ,